ORATIO
DE
DIVO ANTONIO
DE PADUA,
PUBLICè RECITATA
IN ALMA METROPOLITANA,
AC PATRIARCHALI ECCLESIA
HISPALENSI
DIE 1. DECEMBRIS ANN. 1777.

A D. FRANCISCO MARIA
DE VELASCO,
AULÆ TERTIÆ, ET QUARTÆ
COLLEGII MAJORIS
S. THOMÆ AQUINATIS
EJUSDEM CIVITATIS STUDIOSO LATINITATIS
ALUMNO,
ATQUE ELABORATA
A P. Fr. FERDINANDO REYNOSO,
IN PRÆDICTO MAJORI COLLEGIO HUMANARUM
Literarum Professore.

Superiorum permissu, Hispali, apud Typographum Majorem ejusdem Nobilissimæ, Fidelissimæque Civitatis.



ORATIO.

DICTURUS maximâ sanctitate commendabilis Divi Antonii Patavini præclarissimas laudes. (Insignis Præses, virtutûm, & literarum ornamentis splendidissime: nobilissime omnium ordinûm adstantium Consessus: charissima studiosæ juventutis Corona.) Dicturus maximâ sanctitate commendabilis Divi Antonii Patavini præclarissimas laudes, qui tantùm vltrà omnium sæculorum excellentissimos eminet Herões, quantùm præ reliquis Sol fulget amæniùs Astris: & dicturus in Consessu tùm gravium, tùm eruditissimorum Virorum, eoque in loco, quo nullus fieri divinior, nullus excogitari sanctior potest, maximis conflictlor incommodis, quorum manifestâ paritèr, ac animi omninò trepidatione præpediti meo in vultu fortassè indicia perlegentur. Siquis enim dicen-

dicendi mihi vsus, siqua exercitatio, quibus, quod ingenio, ac eruditioni deest, compensaretur, adesset, minimé hoc tam grave, ac difficile humeris meis imparibus susceptum onus, cujus magnitudo, & gravitas neque doctrinæ meæ, neque ætati ad discendum, quàm ad dicendum aptiori congruit, subterfugiendum cogitassem. At quoniam mihi omninò studiorum initia moderanti parendum est, in tanta animi dejectione ad vestram humanitatem, Auditores, omnis mea spectabit oratio; vestris in oculis, vultuque acquiesco. Summa enim benignitas, ac lenitas vestra, quæ non solùm errantibus veniam, sed etiam puerilitèr dicentibus spem laudis affulgere pollicetur, me bono esse animo jubet. Hac igitur, & tantâ, quæ vestrûm ipsorum est, audiendi alacritate sublevatus, dicam fidentèr; si tamen puerili linguâ præclarissima hominis sanctissimi facta, incredibilesque virtutes dici, aut proferri valebunt. Quarè siné vllo verborum, aut sententiarum apparatu ea pro ingenii mei modulo in medium proferam. Natus igitur omnium sæculorum memoriâ dignus Antonius Ulyssipone, amplissimo Lusitaniæ Oppido, divitiis, rebusque

om-

omnibus, quæ ad vitam comparantur, affluenti, atque hominũm frequentiâ celeberrimo, iisque in Artibus, quæ ad humanitatem comparantur, sollicitè curantibus pientissimis Parentibus, nè quid in educando puero desideraretur, jam satis videretur instructus, Canonicis Regularibus rarum profectò in florenti juventute senilis prudentiæ cæteris exemplar proponens, cooptatus fuit. Sed cum hanc suæ primam vitæ partem in studio, & stadio virtutis amplexando, in proximorum saluti prospiciendo, in motibus corporis, voluptatibusque subigendis totus conaretur ponendam, fortè fortuna, seu potiùs fortunæ victrice paritèr, ac rectrice providentiâ factum est, vt Beatorum quinque Martyrum corpora, qui pro Christi nomine, ac Catholicæ Fidei defensione in barbarorum salutem vehementèr insudantes vitam deposuerant, magno omnium ordinum concursu, ac devotione Conimbriam deportarentur, martyrii lauream acquirendi desiderio, in præstantissimorum hominũm, literis, & virtutibus officinam, & altricem Minorum Ordinem cooptaretur Antonius. Quo novo vitæ instituto tantùm in virtutũm studiis effloruit, vt præclara de

illo

illo ab omnibus opinio conciperetur, inesse sibi plane excellentem, atque heroicam virtutem fortitudinis, quæ in maximis, maximeque difficilibus periculis versatur, mortemque contemnit, quæ varios rerum eventus nihili facit, quæ labores non modò alacri animo suscipit, sed in iisdem exultat, quæque studet vitam pro religione ponere. Quapropter potestate à sui Ordinis Præfectis sibi ad Saracenorum partes pergendi facta, adversa valetudine inter eundum affectus, ad propria reversurus, Siciliæ oris allabitur. Hic humanis, divinisque Artibus incumbens, tantum in iis præ cæteris Consodalibus excelluit, ut publicè docendi, sacrasque literas interpretandi munus sibi demandaretur. Cùm autem altâ mente maneret repostum ejus ad Christi ovile à devio tramite errabundas oves revocare desiderium, totus pro viribus incubuit ad spargenda divini verbi semina: pro quo uno tantum suscepit incommodi, tantum vigilantiæ, laboris tantum, ut licèt adversâ valetudine, nunquàm à dicendo, hortando, hominibusque rerum Conditori Deo conciliandis desisteret. Nihil equidem priùs sibi constituit habendum, & antiquius, quam

quàm omnes Populos Christianis præceptis imbuere, atquè ad omnia pietatis opera traducere. Quidquid erat vitij, quidquid erroris sparsum, penitùs evellendum tantæ ejus diligentiæ fuit, vt omnes, quotquot eum audiverint divina verba facientem, in viam salutis festinaturos mundo valedicentes dimittebat. Homines privatos, nullos dico, quorum hos exemplo, illos verbo, plurimos consilio, rapido peccati spiritu, tanquàm furioso turbine abreptos, in rationis alveum, & tutissimum Ecclesiæ portum tandèm aliquandò reduxit. At certè eo in munere Divinam Majestatem præsentissimam, ac liberalem expertus fuit Antonius. Cùm enim summæ, qua floruit, doctrinæ laude politissimus in Ecclesiæ hostium, ac pestilentissimorum hominum, effrænatissimam licentiam, quàm maximâ semper contentione inveheretur Antonius, adversùs eos tantum est nominis consequutus, vt planè illis formidolosus videretur. Accidit, vt sceleratissimus ex illis coràm magna populi concione, quæ Antonium, de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, multa, & ea mirabilia disserentem, audiverat, præsentiam Christi realem in ipso (vt Theologi

vo-

vocant) multa vana gloriabundus jactando denegaret. Antonius tamen, vt erat religiosissimus fidei assertor, & defensor, nequaquàm eo commoveri, sed cum scelestissimo homine pacisci, vt ipsum proprium per triduum omninò à pabulatione jumentum abstinere curaret, miraculo fidem manifestam accessuram pollicens: Sratuto die convenit ad Antonium Hæreticus adducens pené inedia exanimatum jumentum: statim ac in manus suas Dominicum Corpus accepit Antonius, procubuit, speciem adorantis Deum creatorem, ac conservatorem ostendens, bestia pabulum, quod ei objectum erat, negligendo. Quo facto non solùm luculentissimam victoriam ab hæretico deportavit Antonius, sed etiam adversùs omnes Catholicæ veritatis osores tantam, ac tam incredibilem sui admirationem concitavit, vt posteà illis terrori esset, ac formidini. Nec miremini, Auditores, Antonium tantam fuisse gloriam consequutum: quippè qui copiæ in orando, eloquentiæ, cognitioni rerum altissimarum in disserendo, acerrima quæque ingenia sui temporis longissimo intervallo superans, humilitatem, patientiam, illibatum

batum virginitatis florem adjunxit. Enim verò maximus hominum concursus, ut dixi superius, qui ejus altissima rerum scientia delectabatur, vitæ suæ in primis exemplo movebatur. Et cum nulla sit Civitas in Italia, quam ille sanctissimis præceptis, verbis, & exemplis non reformaverit: hinc est, quòd apud illam totius florentissimam Europæ partem, & de se ad posteros ysque reliquit memoriam sempiternam, vt Sanctus antonomasticè Antonius appelletur, & Antonii nomen per vrbes, per oppida, per Civitates, per omnium denique populorum loca celeberrimum fuisse, futurumque clarissimum. Jam si cæteras ejus laudes, & amplas, divinasque virtutes numerando percenserem, quàm latissimus dicendorum aperiretur campus! Sed hæc vestra, Auditores, audiendi benignitas, & patientia, qua jam penè mihi videor abuti, orationi meæ finem imponere jubet. Quarè consulto præteribo præstantissimam animi virtutem in agendo æterni Numinis causam: silebo honestatem corporis, moderationem operûm, justitiæ observantiam, religionis zelum, æquitatis amorem; nec memorabor defensionem Ecclesiæ, charitatem

in proximos, in pauperûm sublevandis miseriis contentionem, & illam maximam in omnium salute procurandâ diligentiam. Tacebo denique cæteras admirabiles ejus, divinasque virtutes, quantas mirum est mortalem capere naturam potuisse; quibus enarrandis sufficiet, quorum *de meliori luto finxit præcordia Titan.* Clariùs igitur vobis, Auditores, erit quàm quod notissimum, Antonium hausisse spiritum natum ad Ecclesiæ fulcimentum, ad defensionem Fidei, ad hæreticorum confusionem, ad pænitentiæ normam, ad sanctitatis exemplar, ad decus sui sæculi, & ornamentum, ad splendorem, & gloriam sui Ordinis, doctrinâ, literis, & amplissimorum meritorum copiâ illustrium hominum fæcundissimæ Parentis, de Ecclesia Dei per plurium sæculorum curricula in dies benemerentis. Sed minimè nobis hoc in loco prætereundum est illam, & eam inenarrabilem, ab omnium munerûm largitore Deo collatam ipsi, patrandi miraculorum gratiam, quæ, quà latè patet orbe, celeberrimum Antonium, & in ipso Deum in Sanctis suis mirabilem reddiderunt. Quam plurimi ejus præsentissimam opem ipsius intercessio-

sionem, ac patrocinium implorantes experiuntur: experti sunt qui febribus vruntur, qui fluctibus jactantur, qui captivi tenentur, qui à Dæmonibus vexantur, oculis, membris capti, aliisque morbis afflicti, quibus cum nihil in diligentia medicorum præsidij relinquebatur, ejus operâ fiunt sani, incolumes, liberi. Jam igitur, Auditores, quid aliud in hac extrema Oratione mea restare videtur, nisi vt à vobis, qui tàm benigné, patientérque me audivistis, contendam, vt si quid pro hoc improbo dicendi labore commerui, ad Sanctissimum Antonium vnicè convertamus. Ipsum animis nostris intueamur, illius effigiem quandam nostris moribus effingere, conemur: adhibeamus adversùs Conditorem pariter, ac Redemptorem nostrum Deum debitum ipsi cultum, ac submissionem: contemplationi rerum cælestium jugitèr incumbamus: opibus, fortunis, divitiis, quamvìs amplissimè accumulatis, tamquàm si ipsis non vteremur, vtamur: pauperûm miserias, quantum res nostra patiatur, sublevemus: incommodis omnibus, quibus hic mundi tenebricosus carcer abundat, lætemur, vt Antonii vestigiis insistentes,

tentes, puri, atque simplices, omni terrenâ fæce denudati, nullo coinquinati flagitio, nullo scelere contaminati, ad Superûm immortalium domicilia, participes sempiternarum rerum efficiendi, felices perpetuò futuri, pervenire mereamur. Hoc mente, corde paritèr, ac ore velimus, precemur, teneamus.

DIXI.